



~~11-58~~ EX BIBLIOTH.
NATIONIS HUNGAR.
VITEBERG.

11-58

SIGNAT. clvccccxiii.

ILLUSTRISSIMO ATQ; GENERO-
SISSIMO, COMITI AC DOMINO,

DOMINO,

CHRISTOPHORO
LEOPOLDO

SCHAFFGOTZSCH,

Dicto,

S. S. ROMANI IMPERII

SEMPERLIBERO, AB, ET IN KYNAST,

BARONI IN TRACHENBERG, DOMINO

HEREDITARIO TOPARCHIARUM GREIFFEN-

STEIN, KYNAST ET BOBERRÖRS DORFF: ROM.

CÆSARÆ MAJESTATI A CONSILIIS, CAMERARIO,

ET IPSIUS CAMERÆ CÆSARÆ PER SUPERIORIS AC IN-

FERIORIS SILESIAE DUCATUS PRÆSIDI SPLEN-

DIDISSIMO; NEC NON IN SUIDNICIENSIIUM

ATQ; JAVORIENSIIUM DUCATIBUS

SUPREMO AULÆ PROVINCIALI

PRÆFECTO:

DOMINO SUO GRATIOSO.

VITAM ET FELICITATEM PERPETUAM!

Id



Nd mihi vehementer dolet, quod usq; huc mei sibi tantum scierint, AUGUSTISSIMUM ROMANORUM IMPERATOREM ILLUSTRISSIMAM TUAM GENEROSITATEM novis Dignitatibus atq; Officiis, jisq; amplissimis, meritissimo vestro, auxisse: cujus doloris summa & evidens ratio est, quod TUA ILLUSTRISSIMA GENEROSITAS non unis vicibus affectionem suam singularem erga me abunde declararit; testes sat locupletes illas, ab EADEM TUA ad me tum, cum Disputationem pro Licentiæ Gradu, & prout decebat, EIDEM dedicassem, & EANDEM ad nuptias Sponsus submississimè invitassem, exaratas laudo literas: Sed &, quanti illud nuptiale donum, TANTO DONATORE dignissimum, faciendum! nec mihi temperare possum, quin illud, quod à fide dignis habeo, referam, ILLUSTRISSIMAM TUAM GENEROSITATEM gavisam intra SE fuisse multum, quod

quod è suo fido Gryphimonte prodierim ego,
cui Doctorale axioma & Munus Professo-
rium in Electorali hac UNIVERSITATE
laudatissimâ contigerit divinitus. Quæ &
alia facile me permovere poterant, debe-
bantq; , ut inter jamjam ovantium coetus
haut postremus essem. Sed quem tempo-
re forteân prævenerunt alii gratulando , ut
affectu intimo & placendi studio potiores
sint, nullus concedam: sit IPSIUSMET
TUÆ ILLUSTRISS. GENEROSITATIS
Censuræ, quod sera gratulatio reprehendi non
soleat. Verùm enim, de quibus mihi voce
ac corde nunc gratulandum? Quæ Altissimo
Numini Honori , quæque *LEOPOLDO
CÆSARI*, Turcorum *VICTORI ET
TRIUMPHATORI* pergrata, & toti Pa-
triæ Silesiæ utilia maximè esse possunt. Opto
igitur ab immortalis DEO, voveoque, ut
TUAM ILLUSTRISS. GENEROSITA-
TEM *LEOPOLDUS*, FELICISSIMUS
IMPERATOR, Silesia omnis, boniq; omnes,
quàm diutissimè sospitem, salvamq; videant,
addatq; subinde Numen vires, ut ad quæ ad-

spiravit EADEM TUA Dignitatum & Offi-
ciorum Culmina, summâ decurrant felicita-
te; vigeat, floreatq; Res Cæsarea in Silesiarum
Ducatibus, atq; tot in Universos-singulos ex-
petant commoda, quot Quissus annis guttas
habet: ita NOMEN, VIRTUTESQVE
SCHAFFGOTZSCHIANÆ cœlo aliàs
conterminæ æternaturæ sunt. Dum ritè ob
Spartam Illam, Quam ILLUSTRISSIMA
TUA GENEROSITAS summè ornat, CÆ-
SARI & bonis omnibus devoto animo sum
gratulatus, munus EIDEM TUÆ offerri
conveniebat: Per rerum monumenta Cel-
situdinesq; eunti occurret, apud Persas aut
Lege aut More valuisse, ne quis Regiam Ma-
jestatem adire sine munere auderet; cumq;
qui ruri degebat, sua obtulisset munuscula,
risisse Regem, ac risu ea probasse, quæ sincero
animo oblata erant: quod suo modo rectè
habet, cum Qui in terris rerum potiuntur,
Dii sint, vel Ipso DEO Judice. Veneror
equidem TUÆ ILLUSTRISS. GENEROSI-
TATIS ANIMI divinisimas dotes, juxtimq;
in rebus agendis summâ dexteritatem; ut verò
Jisdem

Jisdem par offerre possim munus, non habeo.
Tuum erit, ILLUSTRISIME COMES, Nu-
men imitari, quod humilia suspicit benigniter:
quâ ego fretus Spe, ad Pedes TUÆ ILLU-
STRIS. GENEROSITATIS hasce Disputatio-
nes, muneris qualiscunq; vices subeuntes, de-
pono humillimus: & quia mihi compertum
est, EANDEM TUAM SIBI Romanam Juris-
Prudentiam non modò fecisse propriam, sed
& ejusdem sectatores magni æstimare, facile,
ut credam, adducor, TUAM GENEROSITA-
TEM, LITTERATISIME COMES, in illas
meas, Oculos conjecturam esse: exploratum
enim EIDEM TUÆ est, Romani Juris Cogni-
tionem regundæ publicæ Rei expeditissimum
esse adminiculum, Eandemq; MAGNIS A-
NIMIS omni seculo curæ, cordiq; fuisse: non
abs re est, quod egregius quidam Juris Consul-
tus ita scribit: Quamdiu illa Ars Juris & Æqui
in Romano Imperio floruit, tamdiu hoc ipsum
florentissimum exstitit; quamprimùm verò
Illa defecit, id est, ad ejusdem regulam publi-
cia Regimenta non instituebantur, Imperiũ
toti orbi formidabile contremuit. Hæc Ille.

O felicia igitur Imperia Regnaq; ubi ad Leges Romanas privata atq; publica componitur vita! poterat in hoc latissimo campo dissertatiuncula mea exultare, nisi apud TUAM ILLUSTRISSIMAM GENEROSITATEM, CUI cum Illo, apud Tacitum, omnis Prudentiæ publicæ Patrem, omne verbum debet esse sensus, brevem me esse oporteret. Hoc unum verò quin addam, facere non possum: Scilicet ea Romano Juri contigit felicitas, ut in id doctissimos Commentarios & Ji, qui clavum Rei Publ. tenuerunt, elucubrati sint: Instar omnium cito ILLUSTREM DN. DN. FRIDERICUM SCHENCK, LIBERUM BARONEM A TAUTENBERG, Qui in Placita Feudorum (quæ & ipsa pars Juris Romani nunc sunt) perdoctum Tractatum ad posteritatem transmisit. Autor Ille Amplissimo Loco natus cum Generis Splendore invidendam eruditionem conjunxit, ut haut sciam, an magis ex Majorum Suâq; Dignitate, quàm Doctrinâ consummatissimâ Celebrimus fuerit; hinc etiam in Summo Romano-Germanici Imperii Dicasterio, quod Spiræ Nemetum

Nemetum est, ad PRÆSIDIS Dignationem
meritissimo suo evectus fuit : Et nostrum se-
culum Literatissimorum PRINCIPUM, CO-
MITUM, BARONUMq; ferax admodum
est, ut verè dixeris, non amplius Doctorum,
sed altissimâ Dignitate Coruscantium esse,
libros æternitati consecrare : Quæ felicitas
Germanorum videtur esse propria. Sed cur
justo diutiùs ILLUSTRISSIMÆ TUÆ GE-
NEROSITATI molestus sum. : siquidem
plurimis Occupationibus EANDEM TUAM
detineri, clam me non est : Cæsarea Rescripta
& Programmata nonnè quàm ocysimè ex-
pediunda? Supplicantium libelli legendi, sub-
notandiq; : & quæ alia Reip. negotia subeun-
da, in quibus Optima vitæ pars consistit :
Quâ de re doctè differit C. Plin. Secundus Æ-
rario Præfectus, ac Trajani Optimi Imperato-
ris Corculum Lib. I. Epist. X. ex quâ recitasse
verba hæc volupe :

Distringor officio ut maximo, sic molestis-
simo : Sedeo pro Tribunali, subnoto libel-
los, conficio Tabulas : scribo plurimas, sed
illiteratissimas literas. Soleo nonnunquam
(nam idipsum quandoq; contingit) de his
Occu-

Occupationibus apud Euphratem queri:
Ille me consolatur; affirmat etiam, ESSE
HANC PHILOSOPHIÆ ET QUIDEM
PULCHERRIMAM PARTEM, agere ne-
gotium publicum, cognoscere, judicare,
promere & exercere Justitiam, quæq; ipsi
doceant, in usu habere.

Quod superest; Immortalem DEUM sub
auspiciis novi anni exoratum volo, ut IL-
LUSTRISSIMAM TUAM GENEROSI-
TATEM in Rem CÆSARIS, Patriæq; seris-
simos annos cum ILLUSTRISSIMA CON-
JUGE AC PROLE vivere finat: Deinde EI-
DEM TUÆ charissimum meum Parentem,
qui in Patriâ Gryphimonte vir provectioris
ætatis nonnisi pro suæ animæ salute & pro
ILLUSTRISS. TUÆ GENEROSITATIS
Incolumitate devotè orat, meq; ipsum sub-
mississimè commendo.

ILLUSTRISSIMÆ
TUÆ GENEROSITATIS

*Dab. Wittenbergæ ex
Musæo meo d. XXIX.
Dec. Anno M. DC. LXV.*

*Devotissimus humillimusq;
Cliens*

Joachimus Nerger / Gryphimonte
Siles. D. & Prof. Publ.

Ung. VI 58 (10)

ULB Halle 3
002 686 287




Sb,

VD 17
Sep. 2000 Pd.







...TQ; GENERO-
 ...AC DOMINO,
 ...NO,
PHORO
LDO
 ...TZSCH,
 ...O,
IMPERII
ET IN KYNAST,
BERG, DOMINO
ARUM GREIFFEN-
LÖRSDORFF: ROM-
NSILIIS, CAMERARIO,
PER SUPERIORIS AC IN-
S PRÆSIDI SPLEN-
SUIDNICIENSIIUM
DU CATIBUS
OVINCIALI
 ...):
RATIOSO.
M PERPETUAM!

15

Id